



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

4. De accede[n]te ad Communione[m] cum peccato veniali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

cetera verò cum sint instituta ad eandem augendam, illam per se supponere debent.

1. Dixi (per se) nam, per accidens, primam aliquando gratiam, licet illam in animo nequaquam inveniant, valent producere. Idque, universim, in omnibus, in illo unico eventu usu venit: quando quis bona fide, & sine fraude se existimans esse in statu gratiae, recipit aliquid ex illis vivorum Sacramentis: tunc enim sola attritione supernaturali quae semper requiritur, tollitur obex gratiae, ex vi talium Sacramentorum, quae gratiae animam sanctificantis ornamentum acquirit. Ita Suarez de Sacram. disp. 7. sect. 2. & de Euch. disp. 63. sect. 1. §. Dico tertio, id quod tamen Hurt. disp. 8. de Euch. diff. 8. & Valq. tom. 3. in 3. part. id est de Euch. disp. 207. cap. 4. & §. negant. Huius probabilis doctrinae ratio, pro modo, fit illa, quia cum gratiae augmentum haberi non possit, nisi prima gratia supponatur (ad augmentum enim necessarium supponi debet qualitas, quae agenda est) certe nisi ipsa prima gratia haberetur, nihil haberetur gratiae, contra finem, ad quem sunt instituta Sacramenta.

An sint casus, in quibus cum peccato mortali sibi cogno communicare non sit sacrilegium, dicemus infra §. 10.

§. 11. An sit gravius peccatum accedere indignè ad Eucharistiam cum gravioribus peccatis, quam cum minus gravibus.

Gravius esse mihi non est dubium, ex Delugo de Euch. disp. 14. sect. 1. n. 6. quia sumens magis irreverenter se habet, minoremque, quantum est ex parte rei, reddit ejusmodi Sacramenti significationem, quae est, animam divinae gratiae refectionibus enutrire.

4. Non puto tamen esse necesse majorem hanc, gravitatem explicare in Confessione, quemadmodum, nec quale peccati genus, sive luxuria, sive alterius: nec quo numero, sive plura, sive pauciora. Satis enim est Laico dicere, Communicavi indignè mortaliter: & Sacerdoti celebrari indignè, &c. Sanè pari modo sufficit in Confessione dicere, Sumpsi Eucharistiam non ieiunus: ne quia est explicata, id ne post convivium fuerit, an post primum assumptum cibum. Quamvis enim concedamus cum Baldell. de vitis & pecc. lib. 2. disp. 26. n. 11. majorem irreverentiam committi, si ad Eucharistiam accederetur post lautas epulas, quam post modicum aquae potum; tamen, quia sistitur in eadem irreverentiae specie, et supra dicta opinione lib. Method. Confess. cap. 1. §. 18. de circumstantiis aggravantibus, non contrahitur obligatio ejusmodi graviorem irreverentiam in Confessione diligendi. Ita se res habet in casu nostro.

§. 111. An addat novum peccatum qui communicat cum peccato mortali, quando prohibetur à communione, ex praecepto humano.

Exemplo quaestionis statim facile percipies: sit §. g. quis excommunicatus, vel sit non jejuniis, peccabit dupliciter, si communicet: uno quidem peccato, contra divinum, & naturale praeceptum, quo caveatur, ne sancta indignè tractentur: & altero item contra humanum Ecclesiae, quo prohibetur ne excommunicatus vel non jejuniis ad Eucharistiam assumendam accedat?

6. Suarez disp. 66. de Euch. sect. 1. §. Dico ergo, docet esse duo peccata, quia sunt duae deformitates. Hurtadus disp. 9. de Euch. diff. 1. docet esse unum duntaxat, quia quoties praecepta ex eodem motivo multiplicantur, peccatum contra ipsa commissum nequaquam multiplicatur: Atqui idem est motivum illorum plurimum praeceptum, nempe Religio, seu cultus, ex reverentia Christo Domino debitus: ergo &c.

7. Profecto cum hac posterior sententia probabiliter magna firmiter, excipi sine scrupulo potest: & consequenter satis, abundèque erit sic te accusare, etiam si excommunicatus ad Communionem accessisti: Com-

Par. 11.

municari indignè graviter, vel: Ego Excommunicatus ad Eucharistiam accessi. Iam enim hoc pacto, non indoctus Confessarius intelliget te indignè graviter accessisse.

8. Quid, si, quamvis excommunicatus, fuisses tamen in statu gratiae, id, quod tunc evenire poterit, quando non valuisti abolutionem excommunicationis obtinere, nec per te, non obtinere stertis, si, inquam, tum accessisses ad Communionem excommunicatus, probè ne in Confessione tuum peccatum explicares, si diceres, Excommunicatus accessi? Probè: ex Delugo de Euch. disp. 14. sect. 1. n. 21. quia, iam existens propter ipsum accessum in peccato mortali, Eucharistiae particeps fuisti: si quidem indignè graviter ad Communionem, eo ipso accedere ausus es: quod excommunicatione commaculatus animum ad illam, non urgente necessitate accedendi habuisti: id enim graviter prohibet Ecclesia. Dixi (non urgente necessitate) nam, ut ex infra dicendis §. 6. n. 26. colligitur, illa urgente, nec tua culpa, non absolutus, non peccasti, communicando, atque adeo Confessione non indiges.

§. 1 V. De accedente ad Communionem cum peccato veniali.

9. Est ne peccatum accedere ad Sacratissimam Eucharistiam cum peccato veniali?

Valquez de Euch. disp. 207. n. 18. quem sequitur Ioan. Sanchez in select. disp. 22. n. 9. citans Filliuc. Hurtad. Ledesnam, & alios: docet non esse, ne veniale quidem, si quis comitanter accedat, cum affectu actuali ad veniale, sive cum venialibus habitualiter, sine aliqua displicentia de illis. Dicit comitanter; nam si quis accederet ad Eucharistiam, ob finem venialiter malum, v. g. ob vanam gloriam: quia finis specificat actum; esse veniale non est dubium. Ratio principalis huius sententiae illa est, quia veniale peccatum huius Sacramenti effectum praecipuum non impedit, ut est communis Theologorum assensus apud Suarez de Euch. disp. 63. sect. 3. peccatum enim veniale nequaquam opponitur gratiae: & ex alia parte, non obligantur fideles ad procurandum omnem effectum, quem causare potest Eucharistia, nec ad omnem excogitabilem reverentiam, quam religiosa pietas potest exhibere: si enim ad hoc obligantur, peccaret venialiter Fidelis, nisi cum omnibus actibus, quos moraliter potest, sese disponeret, quod tamen nemo dicit: non igitur obligatur se disponere, omne veniale removendo.

10. Suarez d. 66. sect. 1. §. Dicendum in primis: quem sequitur Delugo de Euch. disp. 14. sect. 2. n. 31. putat esse veniale, nisi quando in peccatis actualibus excusetur quis quod non posset se facile recolligere, venialeque detestari. Ratio praecipua, quam hic inculcat Delugo, est, quia irreverentia censenda est: cum ejusmodi malis, quamvis levibus, quasi cum veste nuptiali aliquantulum sordida, tanto convivio interesse.

11. Verum enim verò cum certum sit fideles nequaquam obligari ad omnem excogitabilem reverentiam, ut dictum est: deberet probare Delugo ad hanc specialem reverentiam nullas veniales maculas habendi, obligari Fideles: quod Valquez, spectata hominum fragilitate, venialiumque peccatorum tenuitate, negabit. Vtique igitur sententia probabilitate non caret: quare complectere tutò, quam mavis.

§. V. De actuali devotione in sumendo Sacram Eucharistiam.

12. Quamvis per actualem devotionem aptius anima disponatur, adeoque majorem gratiam, uberiusque participet, illaque semper sit optanda, & pro virili parte procuranda, tamen, sine actuali devotione, dummodo sit quis in statu gratiae, ejusdem augmento ex opere operato non frustrabitur. Ita S. Thom. 3. p. 2. q. 79 in corpore, & ad primum quem sequitur Suar. Valq. alij. Vide Hurtad. de Euch. disp. 8. diff. 3. unde sequitur minime peccare, ne venialiter quidem, eum, qui illa actuali devotione carens ritè communicat.

F 13. Non